

do. Quomodo ergo dispensasset cum Constantia in favorem Henrici contra Taucradum? 3. Secundum omnes Historicos Constantia nata est post mortem Rogerii Patris: quomodo ergo ab ipso detrusa fuit in Monasterium, tertius vaticinio Abbatis Joachim, asserentis ipsam fore funestam faciem Siciliae, si nuberet, ut refert historia, quam impugnavimus? 4. Quidam dicunt, Coelestinum dispensasse; alii Alexandrum III. quod est contradictio. 5. Juxta Baronium cit. Dominum Fleury Histor. Ecclesiast. l. 74. n. 1. ex Gotifrido laudato Constantia nupsit Henrico ann. 1186. sub Pontificatu Urbani III. non Coelestini III. aut Alexandri III. Alexander enim obiit ann. 1181. & Coelestinus electus fuit Pontifex ann. 1192. tantum. Tandem Patroni Monachatus Constantiae dicunt quinquagenariam, dum nupsit; Dominus Fleury vero ex eodem Gotifrido dicit 31. annum natam tantum, paulo plus, alii dicunt mortuam ante annum 44.

Si officias Inscriptiones incisas in eorumdem Henrici & Constantiae Sepulchris, in quibus Constantia dicitur *Rugosa Sacerdos*, quod multis annis fuerit Monialis; respondet Laudatus Baronius, se, diligenter inquisitione de iis Inscriptionibus facta, didicisse, viventibus tunc Siculis, ea, non tempore illorum mortis esse conscriptas, sed novissimè a quodam Canonico ex recepta ubique fabula.

Ad 2. eam etiam falsitatis arguit Baronius loco cit. quod Auctor hujus Historiae aperte pugnantia loquatur, nempe Alexandrum III. qui obiit ann. 1181. dispensasse cum Nicolao Justiniano, & S. Laurentium Justinianum hujus Nicolai filium floruisse sub Eugenio IV. a quo Episcopali infula fuit insignitus: creatus est autem Eugenius IV. ann. 1431. ita ut filius debuisset supervivisse Patri 250. annis.

Ad 3. de Casimiro. R. etiam esse dubie fidei: 1. Quia hujus dispensationis nullum extat monumentum, ut videre est apud Baronium ad ann. 1041. 2. Quia alii Benedictum IX. alii Clementem II. dispensasse ferunt cum praefato Casimiro addit Gonetius disput. 9. *De impediment. matrimon. a. 2.* graves Auctores referre Casimiro emisisse quidem vota, sed vi & metu a Boleslao coactum; quod colligunt ex eo, quod exilio pulsus cum matre, & Cluniacum appulsus, ad majorem securitatem habitum Monachi suscepit. Ubi autem statu Regni mutato audivit legatos advenisse, ut eum ad solium revocarent, incredibili gaudio (inquit Longinus hujus Historiae scriptor) affectus est.

Ad 4. de Ramiro. Dominicus Soto in 4. d. 38. art. 2. sub finem dicit, hanc Historiam esse apocrypham, inter annales Aragonum non referri, nullo alio fultam testimonio, quam Paladani, aut aliorum, qui originalem Historiam non referunt: & inde magis reddi dubiam, quod non nominetur Pontifex, a quo fuit dispensatum.

R. 2. ad totum argumentum, supposita veritate harum Historiarum, summos Pontifices secutos fuisse Sententiam, quae apud Canonistas reputatur probabilior. Unde non sunt reprehendendi, nec tamè id Sententiae nostrae officit: quia, ut ait Soto loc. cit. *Pontificum Sententiae in libris occurrentibus, & eorum gesta non sunt habenda tamquam Canonicae Leges, & multò minus tamquam articuli fidei, quia neque sub illa forma constituuntur. Sed in rebus, quae sub diversis opinionibus versantur, Pontifices nonnumquam unam opinionem Doctorum sequuntur, non tamen eam tamquam Legem constituentes, neque contrariam condemnantes. Et idè, quomodo concedamus Pontifices aliquos super voto solemnium castitatis dispensasse, non illud habetur pro Lege, potissimum cum inter decreta non referatur.*

Obj. 5. In voto paupertatis & obedientiae dispensatur de facto cum illis, qui post professionem ad Episcopatum assumuntur: ergo. R. N. *Ibid. ad 4.* Ant. Religiosus enim, qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiae, ita nec a voto paupertatis, sed est sicut dispensator bonorum communium Ecclesiae. Similiter etiam non absolvitur a voto obedientiae, sed per accidens obedire non tenetur, quia superiorem non habet: sicut nec Abbas Monasterii, qui tamèn a voto obedientiae non est absolutus.

Obj. 6. In omni voto solemnium intelligitur hæc conditio, nisi Pontifex dispensaverit propter bonum commune: ergo. Prob. Ant. In omni Lege, ut justa sit, includitur hæc conditio, si non obstat bono communi; atqui votum est quædam Lex privata, quam sibi homo præscribit: ergo in omni voto intelligitur hæc conditio, nisi propter bonum commune Papa dispensaverit. R. N. Ant. Imò ex ipso actu votandi solemniter apparet contrarium: cum enim se tradat Deo ad Castitatem servandam usque ad mortem, mens ejus & intentio potius est, quod non dispensetur cum illo. Ad probat. disparitas est, quod Lex pro fine primario respiciat bonum commune, votum autem etiam secundum quid dicatur Lex, non respicit tamèn

bonum commune pro fine primario, sed bonum votantis & Dei, cui se tradit. Sicut ergo, dum homo se per matrimonium tradit conjugi nulla includitur Papæ voluntas dispensandi, nec pro salute totius Reipublicæ Papa hoc matrimonium dirimere potest: sic traditio totius hominis cultui divino per votum solemnè est absoluta, nec a Pontifice ullo modo dependens.

Quod posset objici ex paritate voti solemnizati per suspensionem Ordinis Sacri, solum manet ex probat. 2. paritatis conclusionis.

## DIGRESSIO HISTORICA.

## De Voto Jephthæ.

## Ad Art. II. Dissert. Præcedentis.

REI gesta Historia describitur Judicum 11. Jephthæ, pugnaturus contra Ammonitas, vovit Domino dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, michique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Ipsi vero victori revertenti in Maspha occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis, & choris. *Qua visa scidit vestimenta sua; & ait: heu heu me! filia mea deceptisti me, & decepta es.* Hæc auditio Paris voto annuit, & tantum petit: *Dimitte me, ut duobus mensibus circum-eam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis, cui ille respondit, vade... Expletis duobus mensibus reversa est ad Patrem suum, & fecit ei, sicut voverat, quod non noverat virum.* De voto illo queritur, an legitimum fuerit, & quomodo illud impleverit Jephthæ, an filiae cede, an consecratione virginitatis tantum?

Dico (*Hic a. 2. ad 2.*) Jephthæ votum imprudenter emisit, & crudeliter adimplevit in filia, non virginitatis consecratione, sed maceratione cruenta. Prob. *(Ibid.)* 1. pars. Ille imprudenter & illicitè vovet, qui vovet Deo immolandum aliquod, quod lege prohibetur immolari, aut se huic periculo exponit; atqui tale fuit Jephthæ votum: ergo. Prob. Minor: cum dixit Jephthæ: *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, michique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino;* vel intellexit de homine quocumque, quod probabilius est, cum soli homines soleant obviam ire victori, & ipsi de victoria gratulari: hominem autem innocentem immolari vetat, non solum Lex naturalis, sed & positiva divina, Deuter. 12. *Non facies similitudinem, sicut Gentes Deo tuo: omnes enim abominabiles quas aversatur Dominus, fecerunt Horum suis offerentes filios & filias & comburentes igni: & idè primogenitos redimi jussit Exod. 13. & immolationem Isaci noluit persolvere, sola Patriarchæ obedientia contentus. Vel intellexit de quocumque animali, ut quidam volunt; poterat autem illi occurrere animal immundum, quod Lex vetabat immolari, ut asinus, aut canis; vel homo, ut de facto occurrerit, quem etiam immolare erat prohibitum, ut dixi: ergo. Undè Hieronymus dicit: *in cogendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo impius.**

Respondent quidam juxta cap. 27. Levit. licuisse etiam homines vovere, & eos immolare: dicitur enim, *Omne, quod Domino consecratur (id est omne, quod vovetur, anathema) sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit: quidquid semel fuerit sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur:* ergo. R. quòd, cum inter secreta morte plebenda numeretur homo & ager, homo autem non debeat immolari per mortem realem, ut vidimus, & ager non possit, intelligendum est hoc fieri debere per modo cuiusque rei: ita ut, si esset animal immolatum, occidebatur in sacrificium, immundum extra sacrificium: homo moriebatur negotiis secularibus, & deputabatur cultui divino, quomodo hodiè Religiosi dicuntur mundo mortui; denique, si esset ager, aut aliud quid inanimatum Deo consecratur, sic, ut non possit redire ad usum profanum, quæ consecratio quædam mors, seu mortificatio erat; nam & hodiè possessiones Ecclesie dicuntur *Amortizate.* Ita Estius in hunc locum.

Prob. 2. pars: cum filia Jephthæ post duos menses esset reversa ad Patrem, fecit ei, sicut voverat; atqui non voverat consecrationem spiritualem victimæ, sive immolationem virginitatis, sed realem & cruentam immolationem: ergo. Probat. Minor: voverat se oblatum in holocaustum, quod ipsi primum occurrisset; atqui holocaustum erat mactandum, & totum igne comburendum

dum in honorem Dei: ergo.

Si dicas, holocaustum posse intelligi spiritualiter pro morte civili per consecrationem virginitatis, ut intelleximus supra anathema, c. 27. Levit. Contra est, & simul confirmatur conclusio: 1. virginitas tunc inusitata erat, quæ a B. V. Maria ortum duxit. 2. Si virtualiter dumtaxat immolanda fuisset filia, Jephthæ ubi illum vidit, non prorupisset in miserabiles ejulatus, nec vestimenta sua scidisset, nec virgo postulasset bimestre tempus ad plangendam cum sodalibus virginitatem suam; id enim potuisset toto tempore vite: nec etiam quonavis lege lata convenisset filiae Israël ad plangendum solemnem supra filia Jephthæ 40. dierum spatium, nisi reverè fuisset mactata.

Hanc conclusionem quoad utramque partem ante D. Th. tradiderunt Josephus l. 5. antiquit. c. 10. *præfinitum tempus, inquit, pater mactatum holocausto obtulit, neque legitimum, neque gratum Deo faciens.* Ambrosius l. 3. *De Officiis* cap. 12. *Miserabilis necessitas, inquit, quæ solvitur parricidio, melius est non vovere, quam vovere id quod sibi, cui promittitur, nihil exstet.* Hieronymus in cap. 6. *Micheæ* suis verbis: *Nunquid dabo... fructum ventris mei pro peccato anime meae? Quod fecit Jephthæ pro temeritate voti offerens filiam.* Aug. fusc. q. 49. in Judices, ubi ait: *Iste verò (Jephthæ) Deo non jubente, neque poscente, & contra legitimum ejus præceptum ultra sacrificium voti humanum Theodoret. q. 20. in Judices. Tertullianus l. 3. contra Marc. c. 4. Chrysost. hom. 14. ad Popul. Antiochi (qui citatur ibidem in contrarium a Beccano in Analog. vet. & novi Testam. c. 16. n. 37). Sic ait: „Filiolam primam sibi occurrentem immolavit, & Deus non prohibuit. Et novi quidem, quod Infidelium multi crudeliter, & inhumanitatem nobis impropreant propter hoc sacrificium: ergo verò multa providentiæ, & clementiæ demonstrationem in hoc Sacrificio factum esse dicerem, & quòd generis nostri curam gerens eadem illam non prohibuit. Si enim post votum, & promissionem illam Sacrificium prohibuisset, multi evissent hujusmodi vota, & sensim progredientes in filiorum necem incidissent. Nunc vero illud opere permittens impleri, posteros omnes prohibuit. Et quod hoc sic verum, postquam Jephthæ filiola fuit jugulata, ut sempiternæ memoriæ calamitas esset, nec malum oblivioni traderetur, apud Judæos Lex lata est, virgines in illo tempore convenientes, quadraginta diebus commissam eadem deplorarent, ut eadem memborum renovantes, posteros omnes prudentiores faciant, & discant, quòd de mente Dei non erat, ut hoc fieret; neque enim legere, & plorare virgines permisisset. Et quòd non conjectura sit quòd dicitur, suis demonstravit; post illud enim Sacrificium nemo tale Deo votum vovit, propterea hoc non prohibuit. Quod autem ipse mandavit in Isaac, veritè: per ambo demonstrans quòd non gaudet hujusmodi Sacrificiis.“ Hæc S. Chrysostomus, in quibus conclusionibus magna lux affulget, & quædam objectiones solvuntur.*

## Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Jephthæ votum suum emisit singulari Spiritus S. impulsu: ergo. Prob. Ant. loco cit. *Judic. Factus est ergo super Jephthæ spiritus Domini, & circumiens Galaad & Manasse, Maspha quoque Galaad inde transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino dicens: si tradideris, &c.* ergo. R. 1. juxta Aug. loco cit. spiritum Domini, qui factus dicitur super Jephthæ, fuisse spiritum formidinis ac roboris, quo hostes debellaret, non spiritum consilii, ac pietatis, quo prudens legitimumque votum emitteret. Sic de Gedeone dicitur, *Spiritus Domini confortavit Gedeon*, scilicet ut hostes populi tanta facilitate superaret, non ut ex auro prædæ faceret Ephraim, post quod omnis Israël fornicatus est. R. 2. juxta D. Th. *In Ep. ad Hebr.* in facto Jephthæ fuisse aliquid a Spiritu S. scilicet motum ad vovendum in generali, aliquid autem ex proprio spiritu, scilicet, quòd immola-

vit quod non debuit, & in hoc peccavit; sed post poenitentiam vel, ut ait hic S. Doctor, (*Hebr. a. 2. ad 2.*) fides & devotio, qua motus est ad vovendum, fuit à Spiritu S. non autem ipsum votum.

Inst. 1. Tam insignis victoria, de hostibus Israël statim post votum reportata, probat illud fuisse Deo gratum, & a Spiritu S. ergo. R. cum S. Aug. loco cit. *Agit spiritus Domini, & per bonos, & per malos, & per scientes, & per nescientes quid agendum novit & statuit... unde & Gedeon, etsi non postea quam fecit Ephraim, tamen postea quam tenuit Dominum, quod utique peccatum est, magna strage hostibus cæcis atque superatis populo acquisivit salutem.*

Inst. 2. Apost. ad Hebr. 11. sic ait: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samsonem, Jephthæ, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicierunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones:* ergo. R. cum S. Aug. & S. Th. loco cit. Jephthæ & alios ab Apost. inter Sanctos recenseri, non quòd nusquam peccaverint, ut certò constat de Samsonem, Davide, & Gedeone; sed quia fidei merito conspicui, & poenitentia peracta in justitia & sanctitate & defuncti sunt, & repromissiones adepti.

Inst. 3. Hieronymus, spectans hunc locum Apostoli Ep. 24. ad Julian. ait: *Jephthæ obtulit filiam virginem; & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo reponitur:* ergo. R. S. Hieronymus laudare animum voventis, seu rationem, quæ movit Jephthæ ad vovendum scilicet fidem ac Religionem, non vero votum ipsum ex parte objecti, & circumstantiarum, quæ ipsum contaminantur: & nisi sic intelligas, sibi ipsi contradicet Hieronymus, ut patet ex probat. conclusionis. Caterum, si qui sint SS. Patres, qui aliter, ac nos de hoc facto censent, ipsis opponimus Patres citatos in probat. conclusionis.

Inst. 4. cum Beccano. Si populus non putasset, hoc votum esse a Spiritu S. & Deo acceptum, non fuisset passus, filiam Jephthæ occidi, sed eripisset illam a morte, sicut eripuit Jonathan, quando Saul ratione juramenti, quo se obstrinxerat, volebat ipsum interficere. 1. Reg. 14. ergo. R. dato quòd assumitur, inde sequi populum errasse, quòd non est mirum, nec rarum.

Inst. 5. Scriptura votum factumque Jephthæ non reprehendit, cur ergo nos illud improbamus? R. cum Aug. supr. cit. Scripturam Sacram de voto, & facto Jephthæ in neutram partem sententiam protulisse, ut noster intellectus in judicando exerceret: sed æstimandum reliquisse ex justitia, & Lege Dei consulta; Lex autem Dei, & ipsa Scriptura hujusmodi sacrificia Deo displicere satis testantur.

Obj. 2. contra 2. partem: 1. Non est verisimile, Jephthæ hominem prudentem sermonem non habuisse de voto cum Phinees Summo Sacerdote, vel cum aliis Sacerdotibus in Lege; quòd si fecerit, nullus horum ipsi suasisset filiam innocenter mactare. 2. Petit illa bimestre, ut plangeret non mortem, sed virginitatem suam. 3. Cum Scriptura dixerit: *Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, & fecit ei, sicut voverat*, subdit: *Qui non noverat virum*, id est virginitatem perpetuo servabat: ergo. R. Ad 1. Jephthæ a sapientibus consilium non petisse circa executionem voti sui, quia humanum, & militare securus errorem existimabat, se illud implere debere: vel sapientes, si interrogavit, satis peritos in lege non fuisse, ut huic quæstioni quòd rectum erat, responderent. In Chaldaica Paraphrasi legitur: *& non consulti Phineas Sacerdotem;* & si consultisset Phineas Sacerdotem, redemisset eam pecuniis. Ad 2. R. Quòd petierit illa bimestre ad plangendam virginitatem suam, id est, virginalem ætatem, eo quòd mortura esset, nulla relicta prole, tunc cum tristes erat, & indecora virginitas ac sterilitas, ob spem Messie e Judæis nascituri. Ad 3. N. Quòd id, quòd Sacer Historicus subdit: *Que non noverat virum*, si circumstantia ad substantiam voti minime pertinens, quæ tamèn tacenda non fuit, sive ut paterni juris adhuc significaretur, sive ut ratio redderetur, cur inducias ad plangendam virginitatem a patre postulasset.

## DISSERTATIO V.

DE JURAMENTO, ADJURATIONE, ET ASSUMPTIONE DIVINI NOMINIS PER LAUDEM.

## D. Thom. Quæst. 89.

PERacta discussione actuum interiorum latræ, considerandum est (Q. 89. in præm.) de actibus ejus exterioribus, quibus aliquid Divinum ab hominibus assumitur, quòd est Sacramentum aliquod, vel ipsum Divinum Nomen.

XXX 2  
men.



tior. Rom. 1. Testis est mihi Deus.

Petes, quid censendum de istis sat frequentibus jurandi formulis: abnego Deum: abnego fidem, Deus est injustus, non sit Deus, nisi hoc verum sit, aut nisi hoc fecero &c. R. Si proferantur hoc sensu, quod fides mea de Deo, de ejus existentia, justitia, &c. pendeat a veritate mei dici, sunt blasphemiae; sed si proferantur comparative, quod frequentius est, hoc nempe sensu: sicut certus sum, me per gratiam Dei non recessurum a fide, Deum non posse esse injustum, aut esse Deum; ita proportionaliter certum est, quod assero, ita certo statuto hoc facere &c. sunt juratoriae.

Circa Juramentum implicitum, seu per Creaturas.

Notandum, quadrupliciter posse jurari per creaturas, 1. quasi ille sint quoddam numen, quomodo Gentiles jurant per sua Idola, & Israelitae jurabant per vitulos aureos, quos Jeroboam extruxerat in Regno Samariae: & hoc, ut dixi supra, non est proprie juramentum, sed blasphemia, & Idololatria. 2. Modo considerando creaturam secundum se & propriam dignitatem, ita quod, si invocetur ut veritas prima, aut veritas ex se infallibilis, sit pariter blasphemia & Idololatria; si vero invocetur ut testis infallibilis non ex se, sed a Deo, ut sunt Angeli & Sancti, non erit quidem juramentum pertinens ad Religionem, sed sacra quaedam contestatio pertinens ad Dignitatem. 3. Considerando creaturam ut aliquid ad nos pertinens, quod obligamus Deo, & est juramentum execratorum, de quo supra. 4. Tandem, considerando creaturas quatenus sunt aliquid Dei, & in eis relucet aliquod attributum divinum; & sic jurare per illas est virtualiter & implicitè jurare per Deum, adeoque verum juramentum. Unde Christus Matth. 5. prohibens indiscreta & inutilia juramenta dicit, non jurandum per Caelum, quia Thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolimam, quia est Civitas Magni Regis. Et 23. Quicumque juraverit in Templo, jurat in illo & in eo, qui habitat in ipso; & qui jurat in Caelo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.

Sic etiam, qui jurat per Angelos, per Sanctorum Reliquias, per Sacramenta, jurat per divinum numen specialiter in eis assistens, relucens, aut habitans per gratiam, gloriam, aut potentiam. Qui jurat per Evangelia, jurat per eorum Auctorem & per veritatem infallibilem, quam continent & manifestant. Sic etiam juxta Sylvestrum verbo Juramentum 3. q. 10. juratur per mortem, sanguinem, & honesta membra Christi & Sanctorum, modo fiat reverentè, & non irritorè, aut per modum spernentis, quod est horribilis blasphemia; & adhuc horribilior, si per membra inhonestis. Quo sensu jurare prohibetur in Jure c. 10. 22. q. 1.

Tandem per quaecumque creaturam jurare potest is, qui in omni re Deum contempletur, quia ipse est omnium vita & esse, omnia creans, gubernans, & conservans; id tamèn nec solet, nec convenit, ut dicemus infra: unde, qui juraret per viles creaturas, in quibus non relucet specialiter Divinitas, ut per canem, per ignem, per panem, per solem, &c. censeretur potius jocari, quam jurare, nisi adderet nomen Dei, ut per ignem Dei, per panem Dei, aut nisi verè jurare intendere.

Petes, utrum hæ frequentissimè loquendi formulæ, in veritate, in conscientia, per fidem meam, in fide viri honesti, viri Christiani, Sacerdotis, Religiosi, &c. sint secundum se juratoriae? R. Ex communi Theologorum sensu, Cajet. Sor. Ledesmi. & aliorum negativè. Quia quoad 1. In veritate, idem est, ac si dicas: verè res ita se habet, ut narro; ita ut sit simplex assertio, seu protestatio vera loquentis. Quoad 2. In conscientia, super conscientiam sensus est, loquor, prout conscientia mihi dicitur. Quoad 3. Per fidem meam, in fide viri honesti, viri Christiani, Sacerdotis, &c. non intelligitur fides Divina, seu Catholica, sed fides moralis, seu fidelitas, sinceritas, &c. ita ut sensus sit: loquor ea fide, ea sinceritate, quæ decet virum honestum, Christianum, Sacerdotem, Religiosum, qualis sum, aut haberi volo: unde, inquit Cajet. qui sic loquitur, seipsum offert in testem non Deum, sicut Reges promittentes in fide regia non jurant, sed propriam excellentiam offerunt ad confirmationem.

Idem dicendum de aliis similibus asserendi formalis, si ve proferantur per modum attestacionis, si ut dicas: hoc tam verum est, quam sum verè honestus, vir Christianus, Religiosus, Sacerdos, &c. si ve proferantur execratorie, ut si dicas: non sum honestus vir, non sum Chris-

tianus, Sacerdos; vel sim, aut habeat perfidus, inhonestus, hæreticus, &c. si hoc, quod dico, non sit verum; quia in his, aut similibus non est vera execratio, seu vera Dei vindicta, aut divini iudicii invocatio ad hæc, sed tantum loquentis permissio, quasi diceret: habeas me pro tali, annuo, nisi verum sit, quod dico; sicut supra dicebamus, non esse juramentum execratorum, si dicas: amputentur mihi aures, aut caput, nisi verum dicam. Excipie tamèn in his omnibus nisi eas formulas adhibens adjungat aliquid Dei, ut in veritate Dei, aut per fidem divinam, vel nisi per eas intendat Deum vocare in testem, & verè jurare.

Item verbum Juro, absolute & simpliciter prolatum, non videtur regulariter juramentum, quia non exprimit, per quem juratur; licet enim non juret proprie nisi per Deum, ea tamèn est opinio vulgi per quodcumque posse jurari, aut potius hanc vocem posse adhiberi in variis formulis, quæ non sunt juratorie: sic quotidie dicitur: juro in conscientia, juro in veritate, juro in fide honesti viri &c. quas tamèn mōx diximus non esse juratorias: unde hæc vox absolute prolata in communi acceptione significat protestor, firmiter assero rem sic esse. Excipie semper, nisi proferatur animo Deum in testem vocandi, aut nisi ex circumstantiis ea intentio colligatur; si enim in iudicio proferatur, aut si petenti, jura per Deum, respondeas juro, reputatur juramentum. Quia, ut supra dixi, quaecumque verba quis proferat, si ve juratoria, si ve non, si per hoc intendat Deum vocare in testem, jurat; si non intendat, non jurat. Et hoc principium semper præ oculis est habendum in hac materia.

Dico 4. ex parte notabilis circumstantiæ dividitur Juramentum in privatum & solemne, quod fit cum aliqua solemnitate, ut coram Notario, testibus, tactis Evangelis, &c. Et est triplex. Verbale, quod fit per verba; Reale, quod fit per nutus, aut signa tantum, v. gr. tangendo Crucem, aut Evangelia, digitos elevando ad petitionem alterius exigentis juramentum. Mixtum ex reali & verbali simul, quod dicitur etiam Corporale in Jure.

Solemnitas Juramenti in veteri Lege erat manû levatio, Genes. 14. Transitus per duas partes victimæ divise, Jerem. 34. Positio manû sub femore exigentis juramentum. Genes. 24. & 27. Ad significandum juramentum fieri in fide Messie, qui in Iambis Patriarcharum continebatur. Nunc verò in foro Ecclesiastico ritus sollemnis est tangere Evangelia cum his verbis: Sic me Deus adjuvet, &c. ut supra. In foro civili tangere scriptum, seu aliquod signum potestatis civilis. (Q. 98. a. 3. ad 2.) Porro solemnitas adhibetur juramento, ut majori cum deliberatione, reverentia, & tremore præstetur, ex quo obligatio ejus augetur, & violatio aggravatur.

Solemnè iterum dividitur in extrajudiciale, quod fit extra iudicium; & judiciale, quod fit in iudicio. Et hoc est triplex. Primum juramentum Calumniae, quod in principio litis, vel etiam postea, si alterutra pars exigat, debet Juxta deferre actori quidem, ut juret non animo calumniandi se litem movisse, sed existimando bonam causam habere. Reo, ut juret se bona justitia uti ad reluctandum, hoc est, existimare se jus habere resistendi actori L. 2. cod. De jurejurando propter calumniam. Secundum juramentum in litem, quando scilicet quis jurat de quantitate, aut valore rei, vel de affectu speciali, quam habet ad rem, propter quem tanti, vel tanti illam facit; vel de damno emergente, aut de lucro cessante. Tertium est juramentum litis decisivum, quod adhibetur, quando deficit sufficiens probatio. In causis criminalibus dicitur juramentum purgatorium; in civilibus juramentum suppletorium.

Et est iterum duplex, necessarium & voluntarium. Necessarium est, quod in causa dubia ob inopiam sufficientis probationis a Judice deferretur si ve ex officio, si ve ad instantiam partis. Dicitur necessarium, partim quia Juxta quandoque deferretur cogitur, partim quia delatum recessari non potest sine causa. Extra. de jurejurando. l. 2. tit. 24. C. ultimo. Causa autem recessandi in actore est, si allegationem suam plenè probaverit: in reo, si rem non habeat cognitam, aut ejus oblitus fuerit. Voluntarium est, quod a parte parti deferretur, & recessari potest cap. citato; nisi deferatur Judice approbante, tunc enim est quodammodo necessarium, & jurare debet is, cui deferretur, aut saltem parti offerenti referre; alias lis contra ipsum devota erit. Ita in Jure L. 38. ff. de jurejurando, ubi dicitur: Manifeste turpitudinis est & confessionis nolle nec jurare, nec jurejurandum referre.

Hæc est autem differentia inter juramentum a Judice delatum & juramentum a parte delatum, approbante Jure dice, quod primum non obstat, quin si nova reperiantur do-

cujus proinde gravior sit transgressio, quam alterius: sic juramentum solemne ratione scandalii & majoris deliberationis magis obligat, quam privatum.

ARTICULUS III.

Utrum jurare sive per Deum, sive per Creaturas; sit licitum, idque per se appetendum & frequentandum?

Dico 1. (Art. 2. o.) Licitum est jurare. Est de fide contra Messalanos, Pelagianos, Waldenses, & Anabaptistas, decisa in Concilio Constantiensi contra Wiclefium, cujus hæc propositio 43. damnata est sess. 8. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia. Prob. 1. ex Scriptura. Genes. 23. dicitur: Per memetipsum juravi, dicit Dominus. Et Ps. 109. Juravit Dominus, & non pavit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quem utrumque locum Apost. ad Hebr. 6. & 7. interpretatur de juramento proprie dicto, in quantum scilicet potest Deo competere. Deuter. 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis. Ps. 14. ille dicitur habiturus in tabernaculo Dei, qui jurat proximo suo, & non decipit. Videatur insuper Ps. 62. Isai. 19. 45. 65. Jerem. 12. Tandem ipse Apost. juravit 2. Cor. 1. Testem Deum invoco in animam meam. Item ad Rom. 1. ad Philipp. 1.

Prob. 2. Ex Concilio Later. sub Innoc. III. c. 3. ex unanimi Patrum consensu & ex communi praxi totius Ecclesiæ. Prob. 3. (Ibid. o.) Ratione: Actus, cujus origo & finis est bonus, est licitus; atqui juramentum est tale: ergo. Prob. Minor. Orig. juramenti est fides, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem & universalem omnium cognitionem: finis est ad justificandum homines, & finiendum controversias: ergo.

Dico 2. (Art. 6. o.) Licitum est jurare per creaturas, quatenus in eis relucet specialiter veritas Divina; quia sic est jurare per ipsum Deum. Quia juraverit in templo, inquit Christus Matth. 23. jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso, & qui jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum; atqui licitum est jurare per Deum, ut patet ex 1. Conclusione: ergo. Confirmatur: Jacob juravit per timorem patris sui Gen. 31. Joseph per salutem Pharaonis Gen. 42. Moyses per Cælum & Terram Deut. 30. Aponis totus per animam suam 2. Cor. 1. ergo. Dixi: Quatenus in eis specialiter relucet veritas Divina; quia non licet jurare per viles creaturas, in quibus generaliter tantum & obscure relucet Divinitas; id enim est indecens, ac irreverens, neque hunc morem recipit Ecclesia; unde, ut jam notavi, qui juraret per situm canem, per hunc panem, &c. censeretur potius jocari, quam jurare. Si tamèn intendere jurare, teneretur juramento.

Dico 3. (Art. 3. o.) Juramentum non est per se appetendum, nec frequentandum citrà necessitatem. Probatur 1. Ex Scriptura: Eccl. 23. dicitur: Jurationi non assuecat os tuum, multi enim casus in illo: Et infra: Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo ejus plaga. Hæc etiam pertinent verba Christi Matth. 5. de quibus in solutione objectionum.

Prob. 2. Ratione: (Ib.) Quod non queritur, nec additur, nisi ad subveniendum infirmitati vel defectui, quantumvis sit in se bonum, non numeratur inter ea, quæ sunt per se appetenda & frequentanda, sed tantum inter ea quæ sunt necessaria propter humanam infirmitatem: sicut patet de medicina, quæ queritur & adhibetur ad subveniendum infirmitati; atqui juramentum queritur & adhibetur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit: ergo. Unde S. Aug. libr. de serm. Dom. in monte c. 30. dicit: Qui intelligit non in bonis (id est, per se appetendis) sed in necessariis jurationem habendam, refranet se quantum potest ut non ea utatur, nisi necessitas cogat.

Confirmatur 1. Juramentum, quomvis secundum se bonum, est tamèn obnoxium periculo peccandi, maxime quando est frequens: ergo. Patet Ant. tum ex Scriptura citata, tum quia difficile est in frequenti ejus usu adhibere condiciones, quas infra dicemus requisitas ad hoc, ut sit licitum; ergo non est per se appetendum, nec frequentandum. Sic. v. gr. licet aliis præse sit bonum, prælatio tamèn non est appetenda propter difficultates & pericula, quæ in ea momenti adduceret testem Regem, aut quemvis virum honoratum, peccaret contra reverentiam ipsi debitam: ergo & fortiori, si id fiat erga Deum.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. Conclusionem verba Christi Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Calum, quia Thronus Dei est: Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerusalem, quia non potes nisi Regis. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes tantum capillum album facere, aut nigrum. Sic autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. Similiter S. Jacobus c. 5. Ep. Can. Ausc omnia fratres nolite jurare, neque per Calum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum; sit autem sermo vester, est, est: non, non, ut non sub iudicio decidatis. His auctoritatibus moti haeretici praefati contenderunt omne omnino juramentum Christianis esse prohibendum. R. (Art. 2. ad 1.) Certo falli Haereticos, dum hunc sensum verborum Christi & S. Jacobi affingunt, cum certum sit, Apostolum Paulum in novo Testamento jurasse, quem tamen Legis Christi transgressorem asserere nefas est. Christus (Ib.) itaque laudatis verbis non prohibet simpliciter quodvis juramentum, sed ne omnino iuremus quantum in nobis est, & non nisi ex gravi causa, sive iuretur per Deum expressè, sive per creaturas.

Quod ut melius intelligatur, notandum, Christum hic corrigere duplicem errorem Scribarum. 1. Docerant, solum perjurium prohiberi his verbis Exod. 20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, collatis scilicet cum his verbis Levit. 19. Non perjurabis in nomine meo, ita ut liceret promiscue jurare per Deum, modo verum iuraretur. 2. Existimabant, pejorare per creaturas, quibusdam exceptis, nihil esse, ut ipsis exprobat Christus, Matth. 13. Ad corrigendum ergo primum errorem Christus docet, non solum perjurium, sed omne juramentum, quod fit ex affectu ad ipsum juramentum sine utilitate aut necessitate, esse illicitum. Ad corrigendum secundum errorem docet, esse illicitum. Ad corrigendum per creaturas, quia est jurare per ipsum Deum, ita ut falsum per eas juramentum sit verum & illicitum perjurium. Unde sensus verborum Christi est: Scribae & Pharisei vos docuerunt, a Moysse prohibentur superadditum, non quidem semper est malum, potest enim esse bonus usus juramenti; sed a malo est, nempe vel proprio malo jurantis, scilicet levitate ejus & irreverentia; vel malo ejus, cui iuratur, scilicet incredulitate & diffidentia; vel generaliter a vitio hominum, qui mendaces experti vel sine iuratione non credunt, vel consuetudine jurandi volunt se fide dignos reddere; si enim non essent mendacia & fallacia, non esset opus juramento inter homines.

Ad verba S. Jacobi, cum sint eadem ac verba Christi, eodem sensu sunt intelligenda, & sic utrumque locum ante D. Th. interpretatus est S. Aug. in Ep. ad Galat. Ubi sic ait: Intelligitur, ita Dominum prohibuisse a jurando, ut quantum in ipso est, quisque non iuret, quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tanquam magnum & suave aliquid. Et libr. de mendac. c. 15. Quis praecipit violati reum Paulum praesertim in Epistolis, conscriptis atque editis ad spiritualem vitam, salutemque populorum, nefas est dicere: Intelligendum est illud quod dictum est, omnino, ad hoc positum, ut quantum in te est non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iurandum.

Porro rationes hujus praecipit Christo positi sunt probationes 3. conclusionis; ex quibus haec praemisera Aug. loco cit. de mendacio: Ne, scilicet, jurando ad facilitatem jurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine in perjurium decidatur. (Ibid. ad 1.) Et ideo non invenitur, Apostolum jurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam praecipitem.

Instabis 1. Qui prohibet omnino jurare, prohibet quodcumque juramentum; atqui Christus prohibet omnino jurare: ergo R. D. Maj. qui prohibet simpliciter omnino jurare, prohibet &c. C. Majorem: qui prohibet omnino ju-

rare sine causa, prohibet quodcumque juramentum, N. Majorem: permittit enim illud, quod fit cum causa: & sic distincta Minori, N. Cons. Sic patet dicitur in Decalogo, Non occides, & tamen licet publica auctoritate occidere malefactores. Potest etiam responderi, To Omnino non cadere supra actum jurandi, sed supra id, per quod iuratur, scilicet Deum & creaturas; ita ut sensus sit, non esse jurandum sine causa, omnino, id est, per quidquam, neque per Deum, neque per creaturas. Et hic sensus magis directè impugnat errorem Scribarum.

Inst. 2. Id, quod est a malo, videtur illicitum; quia, ut dicitur Matth. 7. Non potest arbor mala fructus bonos facere; atqui juramentum est a malo, ut patet ex verbis Christi: ergo R. D. Maj. Quod est a malo causaliter, videtur illicitum, Transeat Major; quod est a malo occasionaliter, N. Majorem: & ad hunc sensum distincta Minori, N. Cons. Si jurare cogaris, inquit Aug. l. 1. de Sem. Domini in monte cap. 30. Scias de necessitate infirmitatis eorum, quibus aliquid suades venire: quae utique infirmitas malum est. Itaque non dicit Christus: quod certum sit, Apos-tolus Paulus in novo Testamento jurasse, quem tamen Legis Christi transgressorem asserere nefas est. Christus (Ib.) itaque laudatis verbis non prohibet simpliciter quodvis juramentum, sed ne omnino iuremus quantum in nobis est, & non nisi ex gravi causa, sive iuretur per Deum expressè, sive per creaturas.

Inst. 3. ex SS. Patribus. S. Hieron. in praefat. cap. 5. Matth. dicit, Judaeis tanquam parvulis concessum esse jurare per Deum ut minus malum ne iurentur per creaturas, sicut permissus fuit illis libellus repudi: Evangelicam autem veritatem non recipere juramentum, cum omnis sermo fidelis pro juramento sit. S. Chrysostomus in eundem locum & alibi saepe inculcat abstinendum prois a juramento, tanquam a re simpliciter mala & diabolica. His adstipulantur Theophilactus, Origenes, Athanasius, Cyprianus, Lact. Ambros. & alii passim: quorum loca citat Estius in 3. d. 39. §. 4. ergo R. 2. cum eodem Estio, quod, cum generalis sit juramenti prohibitio, quae tamen habet exceptionem; non mirum est, SS. Patres sic locutos fuisse, quasi sentirent juramentum simpliciter & omnino prohibendum; sed id accipiendum est eo sensu, quo verba Christi & Apostoli Jacobi accipienda diximus: nam in ejusmodi sententiis potissimum repererunt ad pessimam illam vulgi consuetudinem, qua omni data occasione in colloquiis, in conversationibus, prois temere & pro rebus levissimis juramentum interponunt. Unde nullus eorum unquam negavit, in rebus gravioribus, & ubi necessitas cogit, licitum esse juramentum: imò ex Hom. 15. Chrysostomi ad popul. Antioch. constat, ejus Diocesanos ipso praesente solitos jurare de actibus Evangelicis, quando id ab eis exigebatur; quod indubie non passus fuisset fieri in sua Ecclesia, si simpliciter malum & prohibitum censuisset. Et Hieron. in c. 4. Jerem. exponit conditiones requisitas ad licitum juramentum: unde sensus Hieronymi in verbis objectis est, quod Judaeis permissum esset, seu toleratum jurare promiscue per Deum causa vitandi majoris mali, ne scilicet more Ethnicorum iurarent per Creaturas & Idola. Hanc autem permissionem, seu tolerantiam Dominus abstulit: & ideo veritas Evangelica tale juramentum promiscuum & sine necessitate praestitum, quale erat in usu apud Judaeos, non recipit.

Obj. 2. contra eandem Juramentum est cultus Dei; atqui non licet ordinare cultum Dei ad res humanas: ergo R. D. Minorem: (Art. 4. ad 3.) non licet ordinare cultum Divinum ad res humanas tanquam ad finem simpliciter ultimum, C. Minorem; non ultimum, N. Sic enim quotidie vota, sacrificia, preces, &c. ordinatur ad sanitatem recuperandam, ad prosperum successum in rebus humanis: sic Incarnatio ordinata est ad salutem hominum. Adde, juramentum non esse cultum Dei, nisi in necessitate: sicuti verò in aliis necessitatibus ad Divinam opem confugere licet, ita in hac; & hoc est Deo honorificum.

Obj. 3. contra 2. Conclusionem. 1. Hieron. supr. cit. c. 5. Matth. dicit: Considera, quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per Calum & Terram, & Hierosolymam, & caput tuum. 2. Cap. Clericum caus. 22. q. 1. dicitur, Clericum per creaturam jurantem accerimò objurandum: si perstitit in vitio, excommunicandum placuit. 3. Cap. Si quis dicitur: Si quis per capillum Dei, vel per caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico Ordine est, deponatur: ergo R. ad 1. (A. 6. ad 1.) S. Hieronymum loqui de juramento per creaturas more Ethnicorum, ita quò in eis aliquid Divinum agnoscat, & in eis exhibatur reverentia Divina, quod patet ex aliis ejus verbis ibid. Judai per Angelos & cetera hujusmodi jurantes, creaturas venerabantur Dei honore. Eadem ratione puniunt (Ib.) se-

eandem Canones Clericus jurans per creaturas, quod ad blasphemiam infidelitatis perinet. Eodem sensu S. Doctor (Ib.) interpretatur Canonem. Si quis. Potest etiam dici cum S. Bonav. hunc Canonem esse constitutum contra eos, qui Deo, secundum Divinitatem, caput, & capillos, aliaque membra attribuebant.

Obj. 4. contra 3. Conclusionem: Votum est per se appetendum, & frequentandum: ergo & juramentum. Prob. Cons. Ideo votum est per se appetendum, & frequentandum, quia est actus Latriæ; atqui juramentum est etiam actus Latriæ: ergo R. N. Conseq. (Art. 5. ad 1.) Ad votum promissum fit actus Religionis, C. ad hunc sensum distincta Minori, N. Cons. Alia ergo ratio est juramenti, & voti: nam votum non solum est actus Religionis, sed etiam per illud aliquid ad reverentiam Dei ordinatum, quod hoc ipso fit etiam Religionis actus; sed in juramento e converso reverentia Divini Numinis assumitur ad dicti, seu promissi confirmationem; & ideo, quod juramento confirmatur, non propter hoc fit Religionis actus. Et inde fluit alia disparitas, & distinctio, scilicet quòd juramentum non sit actus Religionis, nisi quando est necessarium ad confirmationem dicti, adeoque non per se appetendum, nec frequentandum, sed in necessitate dumtaxat; alias foret irreverentia, & irreligionis potius, quam Religionis actus. Votum autem absolute, & semper est actus Religionis gratus, & honorificus Deo, quatenus per illud promittitur semper illi res grata.

Obj. 5. contra eandem S. Hieron. supra c. 5. Matth. saepe cit. dicit, quòd, qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat; atqui venerari, aut diligere Deum est per se appetendum, & frequentandum: ergo R. 1. D. Majorem: (Ibid. ad 2.) Qui jurat, veneratur, aut diligit, &c. & eo sine jurat, ut suo juramento veneretur, &c. N. fit alio fine jurat, C. Licet ergo, qui jurat, utatur veneratio, & dilectione Dei, non tamen ordinatur juramentum ad venerandum, aut diligendum Deum, sed ad aliquid aliud, quod est necessarium praesenti vitae, nempe sui dicti confirmationem, unde non est frequentandum, nec appetendum, nisi in quantum est ad hunc finem necessarium. R. 2. D. eandem Majorem: (Ib. 3. d. 39. art. 1. q. 1. ad 2.) Qui jurat cum debitis conditionibus, de quibus modo, veneratur, &c. C. Secus, N. Tunc enim potius Deum offendit, quam veneratur, aut diligit; & quia difficile est in frequenti usu juramenti adhiberi omnes praefatas conditiones, ideo non est frequentandum.

Obj. 6. Juramentum est per se bonum: ergo R. D. ut supra: Juramentum omnibus suis comitibus vestitur est per se bonum, C. Secus, N. Patet solutio ex praecedenti. Item D. Juramentum est per se bonum, ut per se delectabile, N. Ut per se necessarium, C. Unde in necessitate tantum est adhibendum.

Obj. 7. Juramentum ordinatur ad confirmationem dicti; atqui, quòd homo confirmet dictum, est bonum: ergo R. D. Minorem: (Ib. a. 5. ad 3.) Quòd homo confirmet dictum, quando & quomodo debet confirmare, C. Secus, N. Sic bonum est sumere medicinam, si sumatur quando, & quomodo sumi debet; non est tamen appetenda per se, & ut quid delectabile, sed ut necessaria sanitati; ita juramentum.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter ponatur tres comites juramenti, videlicet, Justitia, Judicium, & Veritas?

Resp. Affirmativè. (Art. 3. o. ibid. in arg. s. c.) Prob. ex illo Jerem. 4. Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in iudicio, & in justitia. Quòd exponens Hieronymus in comment. dicit, animadvertendum, quòd iurandum habet comites veritatem, iudicium, atque justitiam: si ista defuerint, nequaquam erit juramentum (scilicet legitimum) sed perjurium; nomine perjurii intelligens generaliter omne juramentum illicitum.

Prob. 2. (Ibid. o.) Juramentum, ut supra dictum est, non est bonum nisi ei, qui bene utitur juramento; atqui ad bonum usum juramenti duo requiruntur: unum ex parte jurantis, nempe quòd non leviter iuret, sed ex causa necessaria, vel utili, maturè post inquisitionem sufficientem veritatis, discretè, & reverentè; & quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis. Alterum ex parte illius, quod juramento confirmatur, ut nimirum neque sit falsum; & quantum ad hoc requiritur veritas; neque illicitum; & quantum ad hoc requiritur justitia: ergo.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Justitia, (Ibid. ad 2.) hoc solo sensu accepta, spectat tantum juramentum promissorium; quia assertorium potest esse de re iniqua, ut de homicidio perpetrato. Potest autem justitia etiam accipi pro causa, propter quam iuratur, ut est honor Dei, bonum commune, &c. & sic spectat etiam juramentum assertorium; nec tamen ideo confunditur cum iudicio, quia iudicium involvit plures alias condiciones. Porro juramentum (Ibid. o.) iudicio carens dicitur juramentum incautum; carens veritate juramentum mendax, seu perjurium: carens justitia, juramentum iniquum.

Si dicas, hæc tria pariter requiri in quolibet opere humano, ut sit bonum: ergo R. (Ibid. ad 3.) Hæc magis requiri ad juramentum, quam ad alios actus humanos, quia in juramento est majus periculum tum propter Dei magnitudinem, cujus testimonium invocatur, tum etiam propter labilitatem linguæ, cujus verba juramento confirmantur.

EXPLICANTUR MAGIS PRÆFATI COMITES.

Judicium.

Circa iudicium nihil speciale præter dicta occurrit dicendum; nisi quòd ejus defectus, suppositis aliis duobus comitibus, juxta communem sententiam non excedat culpam venialem; quia tota ejus malitia consistit in hoc, quòd vanè, & superflue, seu non satis reverentè invocatur divinum testimonium; quòd non videtur plusquam veniale. Excepit tamen, nisi sit incautum defectu sufficientis inquisitionis veritatis, ut dicam infra, dum de veritate.

Justitia.

Justitia, quatenus spectat juramentum promissorium, exigit, ut fiat de re honesta, & licita: ita ut, si sit de re moraliter mala, ut de hoste occidendo, de adulterio committendo (casus non raris maritis, uxore negante debitorum) sit peccatum mortale contra Religionem. Si autem sit de re venialiter mala, multi graves auctores Cajetanus, Soto, Sylvius, Navarrus, Lessius, Layman, &c. existimant esse tantum veniale peccatum; sed Marchantius tom. 2. tract. 3. tit. 3. q. 2. dub. 1. Reg. 2. apud Sporrer, & quidam alii contendunt esse mortale; quia videtur gravissima injuria Deo irrogata ipsum invocare in testem, & velut Patronum suæ iniquitatis, sive mortalis, sive venialis; videtur enim esse quidam contemptus, & irrisio Dei: sicut v. gr. Princeps censeretur contemni, & irrideri ab eo, qui ipsum assumeret in testem injuria, etsi levis, quam ipsi inferret. Hæc sanè ratio non parum me inclinât in hanc sententiam ut probabilior. Itaque, si adsit animus adimplendi malum, quòd iuratur, est duplex peccatum: unum Irreligionis vi juramenti, & quidem semper mortale juxta posteriorem sententiam; aliud mortale, vel veniale ratione materiae juratae. Si autem desit animus adimplendi, est unicum peccatum perjurii mortalis.

Porro, qui rem malam sive venialiter, sive mortaliter juratam adimplet quasi Deo gratam, committit peccatum blasphemie; si ut debitam vi juramenti, committit peccatum superstitionis, utrumque ex genere suo mortale, nisi ignorantia, aut simplicitas excuset; qui autem absquè illa intentione, vel blasphemia, vel superstitione adimplet, peccat mortaliter, vel venialiter pro ratione materiae.

Tandem, si juramentum sit de re opposita consiliis Evangelicis, v. gr. iuras te non fore Religiosum, te non jejunaturum, &c. (Art. 7. ad 2.) peccat sic jurans, in quantum ponis obicem Spiritui S. qui est boni prepositi inspirator: similiter iurans de re indifferenti, quatenus assumis vanè nomen Dei; ad secundum commotionem sententiam Cajet. Navarr. Less. & aliorum non nisi venialiter; quia, cum res jurata non sit mala, non videtur gravis injuria Deo irrogata. Suppono tamen, juramentum habere animum adimplendi, quòd iuratur: alias foret mortale perjurium defectu praesentis veritatis.

Petes, utrum, qui uteretur juramento tanquam instrumento peccati sui sive mortalis, sive venialis, v. gr. ad persuadendam detractionem, sive gravem, sive levem, vel ad inducendum alium in peccatum etsi veniale, peccaret mortaliter contra Religionem. R. Affirmativè; quia sic Deum in testem invocando facit ipsum, quantum in se est iniquitatis suæ coadjutorem; siquidem, ut in casibus positus, per ipsum suam detractionem certiore efficiat, aut efficacius inducat ad peccatum, quòd certè etiam in peccato veniali est gravissimè Deo injuriosum.

Idem probabilis existimo dicendum de eo, qui narrans sua peccata jactantiae causa, illa juramento confirmaret. Yyy